

monere contentæ in carta dotis dictæ Genevræ ab XXVIII. annis citra, & den. VI pro condemnatione usque ad dies X. proximos venturos in ban. solidos X.

Et ego Goslinus Notarius S. Palatii hanc condemnationem mihi iussam sic feci, tradidi, & scripsi.

*Monitio Vicarii gen. Episc. Aquens. facta Abbati Monasterii, ac hominibus S. Juliae, ut compareant Bestagni coram Episcopo.*

311

M C C C L X I.

Anno Domini MCCCLXI., indictione XIV., die XII. junii in castro Bestagni, presentibus circumsperto viro D. Antonio Baudezono de Bestagno jurisperito, & Guillelmo de Oddone de Incisa habitatore Bestagni testibus vocatis, & rogatis. Ven. vir D. Franciscus Archipresbiter plebis de Conchis, Rev. in Christo P. & DD. Guidonis Dei gratia Aquensis Episcopi, & Comitis in spiritualibus generalis Vicarius personaliter præcepit mihi Joannino de Quiregio Notario infra scripto ad instantiam, & requisitionem nobis viri D. Joanni Scarampi ex Dominis loci Bublîi requirentis suo proprio nomine, & vice, & nomine omnium, & singulorum Dominorum dicti loci Bublîi, nec non vice, & nomine communis, & hominum loci prædicti, ut exemplarem, & autenticarem, & in publicam formam instrumenti redigam litteras infra scripti tenoris, si præscriptio quarum litterarum talis est: Rev. in Christo Patri D. Georgio Abbati monasterii S. Juliae, nec non discreto viro sindaco communis dicti loci Aquensis diocesis. Tenor vero intrinsecus dictarum litterarum talis est: Rev. Pater, nobiles viri DD. Joanninus Scarampus, Robertus Bertaudus, Guillelmus de ultra Burmidam eorum nominibus, & vice, & nomine aliorum Dominorum loci Bublîi, ac etiam vice, & nomine sindici communis, & hominum dicti loci, hodie nos requisiverunt instanter, ut cum ipsi dictis nominibus intendant aliqua dicere, atque protestari coram Rev. P. D. G. Dei gratia Aquensi Episcopo, sive nobis circa ea, quæ pronuntiata fuerunt per arbitros per vos, & ipsos electos super quæstionibus inter vos, & ipsos vertentibus, velimus vos requirere, quatenus si vestra interest, velit die crastina ante tertiam esse in loco Bestagni audituri protestationem ipsam, quam facere intendunt, ut supra. Quare ad instantiam prædictorum vos requirimus, rogamus etiam, & monemus, quatenus, si vestra interest, vel alicujus vestrum, ad audiendum dictam protestationem die crastina sitis in dicto loco Bestagni occasione prædicta, alioquin dictam protestationem facient, ut asserunt vestra absentia non obstante registratis presentibus ad cautelam, de quarum præsentatione vobis, vel alteri vestrum facta latori jurato dabimus plenam fidem. Datum Bestagni die VI. junii anno Domini MCCCLXI. Presbiter Franciscus de Tertio Domini Episcopi Aquensis Vicarius in spir. &c. Die VI. junii Paschinus de Setebrio de Bestagno nuncius in hac parte dicti Domini Vicarii retulit cum Sacramento se hodie de commissione dicti Domini Vicarii præsentasse dicto Domino Abbati litteras supra scripti tenoris.

Ego Joanninus de Quiregio Novariensis diocesis Imperiali auctoritate Notarius, præfatiq; Domini Episcopi, & ejus curiæ scribe hoc exemplum, seu autenticum ex originali scriptura supradicta in actis prædicti D. Episcopi, & Vicarii supradicti, fideliter scripsi, autenticavi, & exemplavi, & in publicam formam instrumenti redege de mandato D. Vicarii supradicti, & postea ad originalem scripturam illud fideliter ascultavi, & quia utrumque concordare inveni, me subscripsi, & meum signum apposui consuetum.

*Diploma Caroli IV. Imper. confirmantis Guidonis Episc. ejusque Ecclesiæ omnia privilegia a superioribus Regibus, & Imperator. concessa.*

M C C C L X I V.

312

In nomine sanctæ, & individuae Trinitatis feliciter Amen. Carolus quartus divina favente clementia Romanorum Imperator semper augustus, & Boemiæ Rex ad perpetuam rei memoriam. Inter gloriosas Reipublicæ curas, quibus cor nostrum pro nostrorum salute fidelium perpeti meditatione distrahitur, nostra circa id præcipue versatur intentio, & ad hoc sedulum destinamus affectum, qualiter almam matrem Ecclesiam sponsam Regis, & in cujus gratia temporalia Regio nostro parent Imperio, summa semper studio veneremur. Istud autem tunc nos exequi rite perpendimus, dum cunctæ Ecclesiæ honori pariter, & quieti prospicimus, & ministros divinis mancipatos offequiis Imperatoriæ petitionis præsidio in pacis dulcedine confovemus libertatem ipsorum, & jura nunc vetera renovantes, nunc nova pro necessitate temporum largientes. Sane Ven. Guido Aquensis Episcopus Princeps, & familiaris Aulicus noster dilectus ante nostræ majestatis constitutus præsentiam litteras sanctæ memoriæ D. Clementis Papæ sexti pro sua recommendatione nobis ab eo, dum adhuc in humanis esset, scriptas exhibuit, & intercedente ad serenitatem nostram pro eo Ven. Nicolao Patriarcha Aquilejense fratre nostro nobis humiliter supplicavit, ut privilegia divinæ recordationis Imperatorum, & Regum Romanorum nostrorum prædecessorum sibi, & Ecclesiæ suæ Aquensi concessa, de quibus fidem plenariam nobis fecit, nec non & omnia, & singula in eisdem privilegiis contenta, sive per ea ipsi Ecclesia Aquensi, & suo Episcopo data, collata, confirmata, & indulta confirmare, eademque de novo concedere, & Episcopum prædictum pro se, & dicta sua Ecclesia de iisdem investire de benignitate Regia dignaremur. Primum quidem privilegium est divi Guidonis quondam Imperatoris Romani, per quod idem Imperator Ecclesiam S. Vigiliî fundatam in corte Urba cum omnibus suis appendiciis, decimis, dominicatis ejus, & utriusque sexus familiaribus, & suis adjacentibus, Ecclesiæ, & Episcopo Aquensi donavit, & fuit quondam actum, & datum Papæ idibus maii anno DCCCXC., indictione IX. ante primo Imperatoris D. Guidonis serenissimi Imperatoris augusti. Secundum privilegium est Ottonis quondam Imperatoris super distinctione urbis Aquensis intrinsecus, & extrinsecus per tria milliaria